

www.e-rara.ch

**Poetarum omnium seculorum longe principis Homeri omnia quae
quidem extant opera, Graece**

Homerus

Basileae, Anno 1551

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-92935>

In Trebel[lum] Pollionem, Dilucidationes Marcelli Donati.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

IN TREBEL-
POLLIONEM,
DILVCIDATIONES
MARCELLI DONATI.

Trebellius Pollio in Galienis.

*Perdita Gallia, arrisſiſſe, ac dixiſſe perhibetur. Non ſine tra-
beis ſagis tuta Reſpublica eſt?*



AGVM veſtis ſtragula genus fuiſſe colligimur ex Suetonio in Othone cap. 2. ſcribente. Ferebatur & vagari noctibus ſolitus, & inualidum quemque obuiorum, vel potulentum corripere, ac diſtento ſago impoſitum in ſublime iactare. Et in eodem ſenſu Cic. in Verr. Sagum ſumit, lucebat iã ferẽ. In eadem ſignificatione puto accipi a D. Hieronymo Exod. 26. Saga Silicina 11. & cap. 36. fecit ergo ſaga 11. de pilis caprarum. Et Plinius libro 16. de viſco loquens cap. 44. inquit. Sacerdos candida veſte cultus arborem ſcandit, falce demetit, candido id excipitur ſago. Sed magis propria ſignificatione ſagum fuiſſe veſtem militarem diſcimus ex Cicero ſcribente in Philip. 8. Propter cuius periculum ad ſaga iſſemus. Et rursus. Quum eſſet in ſagis Ciuitas, & 14. Tumultũ decerni, iuſtitium indici, ſaga ſumi dico oportere. Liuius in Epit. lib. 118 Populus Romanus ſaga ſumpſit, & in Epit. lib. 72. Saga populus ſumpſit, vtrobique de populo arma ſumente verba faciens, ſicuti in Epit. lib. 73. Ob eam victoriam Romæ ſaga poſita ſunt. Idem confirmari poteſt ex Suetonio in Auguſto cap. 26. vbi de illo Conſulatum petente ait. Conſulatum viginti ætatis anno inuaſit, ad motus hoſtiliter ad urbem Legionibus, miſſiſque qui ſibi nomine exercitus depoſcerent. Quum quidem cunctante Senatu, Cornelius Centurio Princeps legationis reiecto ſagulo oſtendens gladij capulum non dubitaſſet in curia dicere. Hic faciet, ſi non feceritis vos. Ex Capitolino in M. Philoſopho idem demonſtratur, vbi habet. Per Brundifiſum veniens in Italiam togam & ipſe ſumpſit, & milites togatos eſſe iuſſit, nec vnquam ſagati fuerunt ſub eo milites. Namque ſagum belli, ſicuti toga pacis indicium Rom. erat. Idem quoque teſtatum reliquit Nonius Marcellus, quo loco tractat de genere veſtimentorum. Trebellius Pollio in Saturnino vigeſimo ſecundo Tyranno, de illius ſeueritate in re militari inquit. Huius inſigne eſt, quod conuiuio diſcumbere milites, ac inferiore nudarentur cum ſagis iuſſit,
hyeme

hyeme graubus æstate perlucidis. Et in Regilliano nono Tyranno. Arcus Sarmaticos, & duo saga ad me mittas velim, sed fibulatoria, quum ipse miserim de nostris. Et Zenobia vigesima nona, Tyrannorum Imperiali sagulo petfuso per humeros habitu. Quinimo id quoque elicimus ex sacris paginis, præsertim lib. Iudicum cap. 3. vbi legimus. Qui fecit sibi gladium ancipitem habentem in medio capulum longitudinis palmæ manus, & accinctus est eo subter sagum in dextero femore. Non solū autē sagū fuisse militare indumentū manifestū sit, sed & Gallorum proprium, cuius rei testem adducimus, præter præsentem Pollionis locum Suetonium in Augusto cap. 48. vbi scribit. Conuiuatum assidue per Prouincias duobus triclinijs, vno, quo sagati, palliative, altero quo togati cum illustrioribus Prouinciarum discumberent, quo loco interpretes vnanimi consensu per palliatos Græcos interpretantur, sagatos Gallos, sicuti togatos Romanos. Ad hæc Strabo lib. 4. Geograph. Sagum indumentum Gallorū fuisse testatur, ait namque σαγυφοροῦσι δὲ καὶ κομοτροφοῦσι. Cui consentit Virg. lib. 8. Gallorum habitum describens.

Aurea Cæsaries ollis, atque aurea vestis.

Vergatis lucet sagulis.

Quod verò addidit Trebellius, trabeatis sagis, ita intelligendum, quod Galli nō modo sagis vterentur, sed & sagis trabeatis. Trabeam indumentū Regum fuisse docet Plinius lib. 8. cap. 48. inquit. Trabeis accipio vsos Reges. Et lib. 9. c. 39. Purpuræ vsum Romæ semper fuisse video, sed Romulo in Trabea. Hinc Romulus Trabeatus dictus Ouid. lib. Fast. 1.

Hoc igitur vidit trabeati cura Quirini.

Et Virgilius libro septimo Aeneid.

Ipsē Quirinali trabea, cinctusque Gabino

Insignis.

Et lib. 11.

Et sellam regni, trabeamque insignia nostri.

Et Iuuenalis Saty. 8. de Seruio Tullo Rom. Rege 6.

Ancilla natus trabeam, & diadema Quirini,

Et fasces meruit Regum ultimus ille bonorum.

Suetonium libro de vestium generibus affirmat, addens secundum genus Trabeæ fuisse Dijs consecratum, quod tantum ē purpura constabat, sicuti regali trabeæ album mixtum erat purpuræ. Tercium trabeæ genus fuit augurale, constans ex purpura, & cocco. Dionysius Halycarnassæus libro 2. Trabeamus Sacerdotibus Salijs attribuit, & docet fuisse circū distinctū purpura sub tegmine puniceo, & ita coloratum fuisse Gallorum sagum existimandum, quo genere præcipuè vestis vsos equites milites dicendum; namque legimus in funere Germanici apud Tacitū lib. 3. Annal. Trabeatos equites. Et Suetonio in Domitiano legimus equites trabeatos præcedere iussos, inter apparitores, & lictores Domitianum Consulem. Et Romani Equites Idibus Iulij ex Val. Maximo, lib. 2. c. 1. in transactione Trabea vsi sunt, ex Q. Fabij instituto. Fuit quoque Trabea vestis Consularis; Et de Trabea Consulari Halycarnassæus libro 5. Am. Marcell. lib. 26. Et Aufonio scribente in Protreptico.

Vt Trabeam, pictamque togam mea præmia Consul,

Induerer.

Quam & purpuream fuisse non dubitandum. Consules, belli tempore præsertim, vfos trabea constat ex Aufonio, vbi Gratiano Imperatori gratias agēs pro Consulatu inquit, se in procinctu dimicaturum deposuisse palmatam vestem, quæ habitus esset Consulis in pace, & in victoria triumphantis, & assumpsisse Trabeam. Et Liuius lib. 3. 2. Cōsul inquit quum Cercyræ hybernasset Verè primo in continente trabeatas ad hostem ducere pergit. Et Ammianus Marcell. per initia lib. 23. ait. Iulianus verò iam ter Consuli ascito in collegio trabeæ Salustio Præfecto per Gallias quater ipse amplissimum inierat magistratum, & videbatur nouum adiunctum esse Augusto priuatum, quod post Diocletianum & Aristobolum nullus meminerat gestum. Ex quibus colligimus, Trabea belli tempore Consules vfos; nam tunc bellicam expeditionem parabat Iulianus. Vnde ait Salustium ter Consulem ascitum ab eo in collegio Trabeæ, Quum in fronte lib. 16. scripsisset Iulianum Cæsarem à Constantio Augusto in collegium Factorum adscitum, nam tunc nullum bellum parabatur. Et idem Amm. circa fil. lib. 25. de Iouiano Imperatore cum exercitu reuertente à Parthica expeditione. Adhibito in societatem Trabeæ Varroniano filio suo, & pauld post. Quod ipsi deferretur Trabea Consularis. Itaq; sagā Gallorum purpureā fuisse non dubitandum, dicente quoque Ammiano lib. 26. de Firmo desertore milites in ardore pugne alloquente. Firmus equo celsiori insidens, sago puniceo, porrectius panso. Sic Galienus paruifaciens Galliam perditam, & Gallos defecisse, in ea verba prorupit. Non sine trabeatis sagis tuta Respublica est? quasi Gallorum arma deridens, qui in vestitu tantum celebres essent. A sago fit sagulus, vnde Tac. de morib. Germanorū inquit. Nudi, aut sagulo leues, nulla cultus iactatio. A sago item sagarius, hoc est sagorum venditor deriuatur. Et sagaria est sagorum negotiatio. Vulpianus de tributo. act. l. cum Procuratoris, & l. cum duobus, §. Quidam pro socio. De sagis vide quæ suprà in Augusto.

Trebellius Pollio in Galienis.

Conuocatisque Patribus Decennia celebravit, nouo genere ludorum, noua specie pomparum, exquisito genere voluptatum.

ENCÆNIA legendum considerat Cœl. Rhodig. lib. 22. c. 14. authoritate Suidæ, scribentis, sic dictam celebritatem, quum noui quippiam gestum fuisset, & in textu habeamus Galienum celebrasse ludos nouo genere, noua specie pomparum, & exquisito genere voluptatum. Attamen Decennia legi posse, & debere credendum, quum idem Pollio in Salonino & Decennalium verba faciat, Decennalia ludos publicos fuisse nō ambigendum; at cur ita dicta, in hoc laborandum. Sicuti seculares ludi fuere, qui à prima origine singulis centū annis fiebant, ex Festo Pompeio lib. 17. & Censorino de die Natali, c. 6. & D. Augustino lib. 3. c. 18. & Pomponio Læto in Epit. Rom. Historiæ, & Horatio scribente in Carmine Seculari.

*Census vñdenos decies per annos
Orbis vñ cantus, referatque ludos,
Ter die claro, totiesque grata
Nocte frequentes.*

Sicquinguenales ludi, quod singulo quinto anno celebrarentur, quorum Suetonius in Augusto, c. 98. & in Nerone c. 12. & Tacitus lib. 16. Ita & Decennia, seu decennales ludos singulis decem annis celebrandos instituisse Galienū contendunt nonnulli. Alij credidere Decennales ludos dictos, quod decem diebus celebrarentur, quemadmodum de quinquenali ludo superius in Augusto ex Suetonio supra docuimus, sicuti & denarias ceremonias & tricennarias in hoc sensu dixit Festus lib. 4. Verum neutra harum opinionum recipienda, quod mox, veram huiusce appellationis causam demonstrantibus, ex re ipsa manifestum fiet. Decennalia dixere antiqui ludos ab Imperatoribus decimo Imperij sui anno celebratos, quod clarè patet ex eodem Pollione in Galienis eisdem, circa finem, vbi legitur, De annis autem Galieni & Valeriani ad Imperium pertinentibus adeo incerta traduntur, vt quum quindecim annos eisdem imperasse constet, idest Galienum vsque ad decimum quintum peruenisse, Valerianus verò sexto sit captus, alij nouē annis, alij bis decem annis, alij etiam Galienum imperasse in literas mittant, quum constet & Decennalia Romæ ab eodem celebrata, & post Decennalia Gothos ab eo victos, cum Odenato pacem factā, cum Aureolo initam esse concordiam, pugnatum contra Posthumum, & contra Lolianum Ex quibus satis patere puto Decennalia dicta ab annis decem Imperij, sicuti in eodem sensu etiā Theodosius Imperator Cōstantinopoli Vicennalia edidisse, se xvj. & Festo Coss. teste Pomponio Læto Historiæ Romanæ; compendio in illius vita. Et Eusebius in calce suorum Chronicorum scribit, Constantini Vicennalia Nicomediæ acta, & anno sequenti Romæ edita. Et D. Hieronymus in adiectione eorundem chronicorum inquit, Tricennalibus Constantini Dalmation Cæsar appellatus. Et Paulus Orosius lib. 7. c. 19. post principium ait, Constantinus Tricennalibus suis Dalmatium Cæsarem legit. Ex quibus intelligere possumus dubio procul, Decennia fuisse ludos editos decimo Imperij sui anno à Galieno.

Trebellius Pollio in Galienis.

Cyclopea luserunt etiam omnes Apenarij, ita vt miranda quædam, & stupenda monstrarent.

CYCLOPAS gigantea statura fuisse omnes scriptores cōsentiunt, hos verò Siculam habitasse oram plerique tradidere. Tibullus Eleg. 4.

Cessit & Aetneæ Neptunius incolæ rupis.

Eadem fuit & Thucydidis sententia, & Maronis lib. 8. Aeneid. & Cic. in Verrem scribētis Cyclops Aetnam solum, & eam partem Siciliæ tenuisse dicitur. Quam tamen ex Homeri autoritate Turnebus lib. Aduers. 24. cap. 10. reprobare cōtendit, eos non Insulanos, sed continentis habitatores fuisse affirmans. Quini-

mo & Strabo libro primo Homerum Cyclopes ex Hist. Scythica transtulisse tradit. Cui assentiri videtur Plinius libro 7 ca. 2. vbi de Scythiis; quamuis & Cyclopes in Sicilia, & Italia fuisse tradat. Illud sanè à nemine improbat, vno oculo duntaxat præditos fuisse, vnde Virgilius de Polyphemi Cyclopi oculo scribit.

Argolici Clypei, & Phæbeæ lampadis instar.

Hos primos æris, & ferri fabricam adinuenisse tradidit antiquitas, fabulata quoque eos ministros Vulcani Ioni fulmina fabricare. Vnde Virg. 8. *Æneid.*

Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro,

Brontesque, Steropesque & nudus membra Pyracmon,

Quamuis posteriorem Ovidius 4. Fastorum libro Amonidem, & Hesiodus Harpem vocent. Cyclopibus quoque oppidorum munitio attributa. Hinc Maro libro octauo.

— Cyclopum educta caminis

Mœnia conspicio.

Et Pausanias ab eisdem Tirynthea lapideo muro munitam testatum reliquit, cuius singulos lapides vix mouere potuissent pro telis mulorum. A Cyclopibus quoque munitam Mycænas Græci scriptores docuere. Vnde & Aristoteles ipsis turrium fabricam adscripsit, testimonio Plinij lib. 7. c. 56. Hos corpore maximos, & viribus validissimis constat, ita vt arbores eradicarent, ingentia saxa euellerent, & iactarent. Vnde Maro libro *Æneid.* tertio.

Actæos fratres calo capita alta ferentes.

Cyclopea itaque interpretanda actiones Cyclopibus conuenientes, quas Iulius Apenarij, Galieni iussu, miranda quædam & stupenda repræsentantes, ad quod spectat Horatianum illud de Sarmento, & Osco, ore fædo, & facie turpissima, vt larvam diceret.

Campanum in morbum, in faciem permulta iocatus,

Pastorem saltaret, vti Cyclopa, rogabat,

Nil illi larua, aut tragicis nil opus esse cothurnis.

Verum qui fuerint Apenarij difficilius est indagationis. Cælius Rhodig. lib. 24. c. 28. interpretatur, Apenarij idest vehicularij, nullam interpretationis rationem addens. Ego puto eam desumpsisse à voce Græca ἀπὸν idest vehiculum, Rheda, & Currus, de qua ipse Cælius lib. 13. c. 17. Apenæ (inquit) mulos equorum loco iungebat. At quæso, quæ conuenientia inter Cyclopes & vehicula? Quare alia expositio (quam ibidem vix vno verbo innuit Rhodiginus, explicans Apenarij, idest Arenarij) magis recipienda; sed & ipsa amplianda, & clarificanda. Per Apenarios Pollionem intellexisse Gladiatores non dubito, qui in arena ferro ad vulnera & necem vsque pugnabant. Explicationis autem ea est ratio, quod Græcè ἀπὸν sæuus, crudelis, immanis dicitur, quales fuisse Gladiatores non dubitandum. Vnde Cyclopum actionibus monstrandis maximè conuenientes, quos Furnutus tradit Neptumi filios uocatos, quod violenti, & audacioris animi essent; Verum ego hanc vocem non modo ad animi immanitatem, sed & corporis referendam censeo, si quidem Apenarios istos fuisse corpore vasto, & ingenti, nam immane, &

magnum significare Græcam vocem obseruamus. Ita Plinius pretium immane dixit lib. 35. c. 11. & Virg. lib. 6. habet.

Posuitque immania templa.

Ita ut Apenarij non modo essent gladiaturâ exercere soliti, & ideo inhumani, sed & corpore suetâ, & communē hominis staturâ valde excedentes. Vopiscus in Carino vbi ludos ab illo P. R. exhibitos cōmemorat inquit. Exhibuit & Cyclopem adornatum.

Trebellius Pollio in Galienis.

Quo comperto Scythæ facta carragine per montem Gesasensem fugere sunt conati.

GOTHI, & Scythæ curruum multitudinem in bellicis expeditionibus habuere, quā barbara voce carraginē appellauere, quā adhuc apud Gallos habetur in vſu, Carragiū enim vocant. Verū sicuti curribus propemodū innumeris vſi sunt, ita & ex vſus diuerſitate diuerſi mode carrago à ſcriptoribus accepta; ſimpliciter enim pro multitudine curruū ad belli vſū accepit Trebellius Pollio in D. Claudio, vbi Barbararum gentium exercitum numeroſiſſimū deſcribens ait. Trecenta viginti millia armatorū fuerunt, adde ſeruos, adde familias, adde carraginē, epota flumina, conſumptasque ſyluas. Et iterū Carraginē tantā, quantā numerus hic armatorū ſibi met aptare potuit, & parare. Et rorſus. Ingens carrago deſerta eſt. Hinc deducta locutio. Carraginē facere. Sed nec vnica in ſignificatione; ſi quidē Am. Marcell. lib. 3. accipit carraginē pro caſtorum munimēto curribus conſecto, inquit enim de Gothiſ verba faciens. Vnde haud longo ſpatio ſeparatur vulgus inēſtimabile barbarorum, ad orbis rotundi figuram multitudine digeſta plauſtrorū, tanquā in tramuranis cohibita ſpatijs, ocio ſiuebatur, & vbertate prædatur. Præmia igitur ſpe meliorum Romani Duces (ſi ſors copiā attuliſſet) auſuri aliquid glorioſū Gothos, quicquid molirentur, iagaciter obſeruabant, id ſcilicet præſtuentes, ut ſi alio caſtra mouiſſent, (quod fecere creberrime) terga vltima adorti, plures perfoderent conſiſi, magnāque ſpoliorū auerterent partem. Hoc intellecto hoſtes, vel tranſfugarū indiſijs docti, per quos nihil latebat indognitū, in eodē loco diu manſerunt. Sed exercitus oppoſiti metu præſtricti aliorumque militū, quos affluere iam ſperabant, tellera data gentili per diuerſa propē diſſuſas acciuere veſtatorias manus, cuique optimatū acceptas, ſtatimque incenſis malleolis ad carraginē, quam ita ipſi appellant aliti velocitate regreſſe incentiuum. audendi maiora popularibus addiderunt. In eadem ſignificatione accepit Flauius Vopiscus in Diuo Aureliano in Epistoſa eiſdem à Valeriano Auguſto ſcripta in qua legimus. Tuum eſt pro virtutibus tuis, atque ſolertia illic hyemalia, & æſtiua diſponere, vbi tibi nihil deerit, quærere præterea vbi carrago ſit hoſtium, & verē ſcire, quanti, qualesque ſint. Accipitur præterea carraginē facere, pro eo, quod eſt conſclamare vaſa, ſeu colligere ſarcinas & impedimenta. Cic. in ſexta in Verrem ait. Ille ex Sicilia caſtra iam mouerat

& vasa collegerat. Et Cæsar libro primo bell. ciuil. scribit. Factus ab hoc certior Cæsar duces aduersariorum silentio copias castris educere. Quo cognito signum dari iubet, & vasa militari modo conclamari. Et libro tertio, Quicum magna expectatione venisset temerè progressus turpem habuit exitum, & noctu, neque conclamatis vasis flumen transijt. In quem sensum Pollium dixisse carragine facta Scythas per montem Gessacem fugere conatos non dubitamus, quamuis alij aliter senserint, quod refert Rhodig. libro 18. capite 24. interpretantes Scythas facta carragine, hoc est aperta via, qua plaustra commearent per montem Gessacem fugere tentasse; Sic enim & vulgo *fare la carrara* Itali dicunt, quæ expositio magis ingeniosa est, quam vera existimanda. Impedimentis itaque & sarcinis collectis, curribusque impositis fugere conatos scythas Carraginem fecisse dicit Pollio hoc in loco, vt mea fert sententia.

Trebellius Pollio in præm. Triginta Tyrannorum.

Scriptis iam pluribus libris, non historico, nec diserto, sed pedestri eloquio.

SVNT qui interpretentur, pedestri eloquio, idest humili, & simplici oratione, ita dicta, quod sicut pes inferior pars est in homine, ita oratio, quæ ceteris humilior existit pedestris dicatur. Doctius, qui solutam orationem exponunt. Quintilianus namque lib. 10. capite primo, de Platone verba faciens inquit. Multa supra prosam orationem, & quam pedestrem vocant Græci exurgit. Et Horatius libro secundo Carm. ad Mæcenatem scribit.

Tuque pedestribus

Dices historijs prælia Cæsaris.

E contra verò Græci poesim, seu metricam orationem *ἑρῶον* hoc est qui equo vehitur, ob magnitudinem, quā in se habet, & sublimitatem, appellauere, hincque primum Poesis scriptores prodijisse, mox qui metrum soluerint astruerunt Cadmus Pherecides, & Hecateus, quod prima in Homerū commentatione scriptum reliquit Eusthatius. Vtraque tamen interpretatio conuenit. Vopiscus in Probo dixit. Longius amore Imperatoris optimi progredior, quam pedestris sermo desiderat.

Trebellius Pollio in Saturnino 22. Tyranno.

Hic ea die qua est amictus à militibus peplo Imperatorio, conuisione adhibita, dixisse fertur, &c.

PEPLVM vestis genus sollemne antiquis fuisse, non modo fœminis, sed & Xenophontis auth. viris commune, docet Pollux lib. 7. c. 13. Fœminarū quidem exemplum habemus ex Virg. 1. Aen.

Crinibus Iliades passis, peplumque ferebant,

Et in Claudiano de Nuptijs Honorij.

*Et crines festina ligat, peplumque fluentem
Alleuat.*

Et ex Homero libro 6. Iliad. referente, Hecubam consilio Heleni vatis, ex suis vestibus pretiosissimum peplum ad templum Palladis tulisse. Virorum etiam fuisse, præsertim Principum, hoc in loco ex Pollione, & infra in Cello colligimus. Sed & Deorum fuisse indumentum facile probatur, tum ex loco citato in Cello, ubi habet Pollio, illum peplo Deæ celestis ornatum. Præcipue verò Minervæ, ex Plutarcho in vita Demetrii, & Virgilio in Cyri. Et Homero 6. Iliados, Quorum dicta infra describemus. Veneris quoque; namque Homerus libro Iliad. 5. scribit Diomedem vulnerasse manum Veneris, atque lanceam transfixisse per pectus, quem ei Gratiæ confecerant. Et in Hymno Veneris, illius ornatum describens quando cum Anchisa concubuit, *πέπλον* enumerat. Et Martianus libro primo, de nuptiis Philologie tradit, Iunonis peplum esse caliginosum, quod tamen si appulsu cuiusdam luminis tangatur, inter obtenebrantes nebulas sudæ perspicuitatis gratia prænitet. In primo Epigra. Græcorum libro Baccus *νεβριδὸν πέπλον* appellatur, idest peplo ex ceruinis pellibus vestitus. Sinuosum verò, & amplum, longumque vestimentum fuisse peplum, colligimus ex ipso Homero libro 6. 7. & 22. qui mulieres Troianas ob id vocat *ἐλκισιπέπλους*, hoc est longas vestes trahentes. Et libro 18. eiusdem Thetidem non semel *τανύπέπλον* vocat, idest longam vestem habentem. Ita & Helenum *τανύπέπλον* libro 4. Odyssei etiam vocat ultimo libro Iliad mulieres *ἐν πέπλοις* hoc est pulchro peplo indutas. Quod verò peplum amplum valde fuerit indumentum comprobare etiam possumus ex Claudiani superius allegato loco.

*Peplumque fluentem
Alligat.*

Quinimo pro curruum peristromate peplum aliquando accepisse Homerum, necnon & equorum instructo ad pulverem arcendum docet Cælius Rhodig. libro 13. c. 18. Et Aristophanes peplum etiam dici voluit velum Panathenaticæ navis, quam quarto quoque anno honore Palladis instruebant, ducta pompa à Ceramico ad Eleusinum. Ex quibus peplo ampli tudinem arguere licet. Et Lactantius Placidius interpres Statij libro 10. scribit, peplum esse vestem candidam aureis clavis pictam sine manicis. Servius enarrans illud Virgilij,

Ginibus Iliades passis, peplumque ferebant.

Peplum inquit est palia picta fœminea. In peplo expingi consuevisse varia heroum facinora prodidit Iſeus, & repetit Harpocratio. Et de Palladis peplo clare id docet Euripides in Hecuba. Et Virg. per initia. Cyri scribit.

Sed magno intexens (si fas est dicere) peplo

Qualis Eriethæ olim perituræ Aibentis,

Debita cum castæ soluntur dona Minervæ.

Et paulo post.

Ergo Palladæ texuntur in ordine pugne,

Magna giganteis ornantur peplo trophæis,

Horrida sanguineo pinguntur prælia succo.

Et Plutar. in Demetrio varias in Palladis peplo imagines effinxisse Athenien-

ses tradit. Plato in Euthyphrone inquit. In magnis Panathæncis Peplum p̄ctū in arce suspendi solitum. Et apud Apuleium legimus peplos mustellatos, quasi variegatos dixeris. Ex his omnibus existimare licet, Peplum indumenti genus fuisse, quale apud nos *Manto* dicitur, quodque supremus ceteris vestiatur, quod Theocriti interpres in Syraculis innuere videtur, quum *πεπλον ἔγιδ' αἰ* interpretatus sit Peplum, ac indumentum, quod primo succingere tur. Author est Porphyrius, conditum ab Arist. Cōmentarium, cui titulus Peplum, in quo Ducum describat Genealogias, & Navium numerum ad Troiam profecturum; Ad quod pertinet illud Cic. ad Atticum. Peplographiā Varronis tibi probari non molestè fero, à quo adhuc *ἡγεμῶνες* illud non abstuli. Ex quibus varietatem etiam in picto Peplo conijcere licet. Illud postremo adiungimus, non vulgare, sed Principum viroꝝ fuisse, seu Illustrium, fœminarum & sollemne indumentum, quod tum ex iam dictis patere puto, tum etiam ex Plauto scribente. Numquam ad civitatem venio, nisi quum infertur Peplum. Et quum Pollio in Celso ait illum à militibus Imperatorem vocatum, & Peplo Deæ cælestis ornatum, existimo intelligendum de Palladis Peplo, de quo plura superius. Nam consuevisse priscos Deos orantes, & præcipuè Palladem obsecrantes, Peplo illorum simulachrum ornare, constat ex Virgiliano illo superius adducto.

Interea ad templum non aquæ Palladis ibant

Crinibus Iliades passis, Teplumque ferebant.

Et ex Homeri interpretis dictis, necnon & Aeschyli verbis. Turneb. lib. Advers. 14. c. 15. comprobatur.

Trebellius Pollio in Zenobia 29. Tyranno.

Fuit vultu subaquilo, fusci coloris, oculis supra modum vigentibus, nigris, spiritus diuini, venustatis incredibilis.

AQVILVM colorem fuscum, seu subnigrū esse Calepinus docet, Pompei Festi sententiam secutus, qui illius essentiam declarat lib. 1. ab aqua etymologiam deducens. Nam quū antiqui duos Principes colores, & extremos facerent, albū, scilicet, & nigrum, is quoq; qui neutri similis sit, ab utroq; tam ē medius proprietatem trahat, aquilus dicitur ab aqua, cuius color incertus est. Quamobrem Zenobiā vultu subaquilo fuisse interpretari possumus subfusco seu nigro, nam teste Donato, & Varrone particula (sub) temperamentū & diminutivum significat. Quam tamen sententiā haud recipiendam puto, tum quia statim subdit Trebellius fusci coloris, quod utique non fecisset, verbositatem vitans, si dictio illa subaquilo de colore intelligenda esset. Ad hæc, quæ ex Festo adducuntur haud veritate consentanea sunt, si quidem observamus, pictores & Poetas consuevisse non ineptè fluminibus pallorem quendam assignare, mari cœruleum, lacubus candidum, vnde aquam non coloratam, seu nullius coloris esse absolūtè affirmare haudquaquam possumus. Itaque fuisse Zeno-

biam vultu subaquilo interpretandum existimo, hoc est quoquo modo faciei aquila sublimi, sicuti dicimus eodem in sensu nares aquilinas, quæ supra incurvantur in conuexum, infra verò acuminata sensim deprimuntur, ab aquilæ rostri similitudine. Et Aquilo ventus, quod sicuti Aquila velociter, & impetuose volat, ita ventus ille à vehementissimo ac præceteri statu appellationem adeptus est, Vnde iure optimo D. Hieronymus scopam viarum Aquilonem dixit, quod vehementer difflando vias perpurget, Et Aquiliorum Romanam familiam potius ab Aquilis, quam ab Aquilo colore denominatâ existimamus, quicquid in oppositum senserit Alex. ab Alexandro lib. I. dictum Genialium, c. 9. nisi & colorem Aquilum ab Aquila deductum dicamus, quam coloris subnigri esse norunt omnes qui pennas contemplati sunt. Fatemur enim Plauti dictum de colore interpretandum, dum inquit in Pœnulo.

Statura haud magna corpore Aquilo,
Hoc est colore subnigro, fulco scilicet. Ita & Suetonij verba in Augusto. c. 79. dum ait, illum fuisse colore inter Aquilum, & candidum, idest subfulci coloris. At in præsentī loco non ita; nam quum dixisset Pollio, Zenobiam fuisse vultu subaquilo, se ipsum statim declarat, subdens fulci coloris, oculis supra modum vigentibus, nigris, quæ omnia Aquilæ oculis, & colori convenire nemo ignorat; Quod si nares addidisset, quales in Augusto Suetonius loco citato depingit, à summo eminentiores, & ab imo deductiores. capitis Aquilæ anteriorem partem à stabrè figurasset; dixit autem vultum non faciem, eo quod vultus sit voluntatis indicium, docente Servio, in quo à facie differre tradit ex Virgilio quarto Aeneid.

Spem vultu simulat.

Subdens itaque post vultus expressionem, illam fuisse spiritus diuini, & venustatis incredibilis, vocis virilis, & moribus seueram, ubi necessitas postulabat, certe, & aquilæ proprietates naturales ferè aptè recensere videtur.

Trebellius Pollio in Tito.

Calphurnia fuit sancta, & venerabilis fœmina, de genere Censoriorum, idest Pisonum, quam maiores nostri Uniuriam sacerdotem inter sacratissimas fœminas adorauerunt.

CENSORINOS, Calphurnios, & Pisones in vnâ, & eadē familia fuisse ex hoc loco clarè colligimus. Et Plutarchus in Numa Pompilio ab illo Calphurnios originem duxisse testatus est, à Calpo scilicet Numæ filio, quod & Pompeius Festus lib. 3. confirmat, ideo Calpurnij, non Calphurnij scribendū. Horat. in lib. de art. poet. ad Pisones idem tradit inquitens.

Vos ò Pompilius sanguis.
Quo in loco Acron, & Porphyrio interpretes tradūt, Pisones à Pōpilio descendisse;

disse; nā Calpus Numę Pompilij filius fuit. Dictos autē fuisset Pisones postea à
 pisendo, quod pilum in pistrinis inuenerunt, author est Pli. lib. vigesimo octa-
 uo, capite tertio, Censorinos autem appellatos forte à Censura in ea familia
 præclarè gesta. Inter Pisones fuere viri, & mulieres præclarissimi Calphurnij,
 & Calphurniæ nomine donati. Vti L. Calphurnius Piso Trib. Pleb. qui Cal-
 phurniam legem repetundarum primam tulit L. Marcio, & M. Manilio Coss.
 anno ab V. C. 604. cuius meminit Cic. secundo de Offi. in Bruto, & in quinta
 in Verrem act. & Val. Max. libro secundo, capite secundo, fuit quoque C. Cal-
 phurnius Piso Consul, qui anno 686. ab V. C. Calpurniam legem de ambitu
 tulit, cuius Dion lib. 26. Et Cic. pro Muræna, & pro Cornelio, & in eam Asco-
 nius, verba fecere. Fuit & alia lex Calpurnia de Ciuitate militibus vir tutis ergo
 donanda, quam et ab aliquo eiusdē familiæ latā arbitramur, quamuis Cifenna
 Hist. lib. 4. & Nonius in voce, Ergo, de ea memorantes, de authore eiusdē ne uer-
 bū quidem protulerint. Fuit quoque Calpurnius Piso, quem nobilem, & fero-
 cē virum appellat Tacit. lib. Annal. 4. accusatorum factionibus, sub Tiberio stre-
 nuè aduersatus. Lata quoque à Calpurnio Pisone vrbis Præfecto cōstitutio de li-
 beris impiè non exhaeredandis, testimonio Val. Maximi lib. 7. cap. 7. In eadem
 Pisonum prosapia mulieres Calpurniæ celebres fuere, quemadmodum Calpur-
 nia L. Pisonis filia, C. Iulij Cæsaris vxor, de qua Suet. in illo c. 21. Et Calpurnia
 Censorina, de qua hoc in loco Pollio, Et, vt ego arbitror, Calpurnia Plinij
 iunioris uxor, ad quam est Epistola eiusdē 7. libro 6. quam studiorum mari-
 ti ministram fuisse non desunt qui testentur. Non negauerim tamen hoc for-
 tē nomen ad mulieres viros alterius familiæ translatum; Nam fuere Cal-
 purnius Agricola, qui bellum aduersus Britannos gessit, testimonio Capi-
 tolini in M. Antonino Philosopho. Et Calpurnius Bestia Consul, cum P. Sci-
 pione Nasica, qui pacem flagitiosam fecit cum Iugurta Numidarum Rege,
 pecunia corruptus, quam postea Senatus improbauit, teste Eutropio lib. Hist.
 Rom. quarto. Cui etiam M. Cæcilius obiecit, ab eo dormientes vxores aconi-
 to tactis genitalibus, interemptas. Hinc illa atrox peroratio eiusdē. Nec præ-
 termittendus Calpurnius Crassus, qui promissis ingentibus militum animos
 pertentās, detectus, & confessus, Tarentum relegatus, à Cocceio Nerua Imper-
 rat. liberatus, patribus lenitatem eius increpantibus, Sex. Aurel. Viçt. scri-
 bente in Nerua. Calpurnium Saluiianum addamus, qui quum Sextum Ma-
 rium coram Druso Vrbis Præfecto Latinarum die, reum postulasset, in exi-
 lium actus est, Cornel. Tacito scribente libro Annal. quarto, Postremo sub-
 damus Calpurnium Lanarium, cui M. Portius Cato cum Claudio arbitet
 Claudium Centimalum damnauit, quod Claudius ab Auguribus iussus al-
 titudinem domus suæ, quam in Cælio monte habebat, submittere, quia il-
 lis ex arce augurium capientibus officiebat, Calpurnio vendiderat, de indu-
 stria Sacerdotum edicium suppressens, ex Val. Max. libro octauo, capite secun-
 do, & Cic. Offic. 3. Fuere quoque mulieres Calpurniæ alienæ familiæ à Pisono-
 rum gente, sicuti Calpurnia Bestiæ filia, de qua Paterculus, & Calpurnia
 cauidica Licinij Bracteonis vxor, quæ Romæ insignis impudentiæ fuit,
 in foroque inusitatis latratibus tribunalia exercens, in causa fuit, quod mulie-
 ribus

ribus postea interdiceretur indicandi munus, & publicè agendi in foro ex Val. Max. libro octauo, cap. 3. de qua re, l. C l fin. de arbitr. l. cum prætor, D. de iud. & l. i. s. sexum, de postul. Hæc omnia adnotare libuit, vt eorum refellatur opinio, qui Calpurnij, & Calpurniæ nomina Romana vnus tantum familiæ, Pisonum scilicet propria fuisse non erubescunt contendere. Quorum tamen sententiæ fauere videtur Tacitus libro Hist. quarto, vbi de cade Calpurnij Galeriani, quem tamen C. Pisonis filium fuisse tradit. Sed ad ea, quæ potiora sunt, atque magis ad præsentis loci explicationem faciunt, accedamus. Appellat Calpurniam Pollio vniuiariam Sacerdotem, quæ verba enodanda sunt. Si quidem mulieres apud præscos gentiles sacerdotia exercuisse non ambigendum, scribente Platone sexto de legibus. Sacerdotes tam viri, quam mulieres æditi constituendi sunt. Et Dionysio Halycarn. in secundo antiq. Roman. de Romuli instituto loquens. Quoniam autem quadam sacra fieri oportebat per mulieres, voluit vxores cum suis maritis fungi sacerdotio, & si qua sacra viros obire vetaret mos patrius, ea relinqui fœminis. Et Vopiscus in D. Aureliano de illius matre. Ex palliolo purpureo, quod soli sui temporis Imperator obtulerat sacerdos, mater crepundia filio fecisse perhibitum. Quæ de re Calpurniam fuisse sacerdotem minimè mirandum; ac cur vniuiariam appellet Pollio deinde perquirendum, ac cuius numinis sacerdos fuerit indagandum. Apud scriptores sæpè sæpius obseruamus duouiri, triumviri, quinque uiri, seuiri, decemviri, centumviri, & huiusmodi magistratuum genera, sed in hoc sensu Calpurniam vniuiariam sacerdotem minimè dictam existimamus, quum nullibi in historica lectione scriptum quidpiam adnotauerimus, vnde hanc expositionem firmare iure possimus; Quæ de re illud memoriæ reuocamus quod Val. Max. libro secundo, capite primo, dum de nuptijs agit, literis mandauit, eas scilicet quæ vno matrimonio contentæ fuerant, corona pudicitæ honoratas apud Romanos, quod existimarent eum præcipuè matronæ incorruptum esse animum, quæ post semel depositam virginitatem ad secundas nuptias transire non pateretur multorum matrimoniorum experientiam intemperantiæ cuiusdam signum esse credentes. Et Plutarchus Problemate 99. Quid est (inquit) quod publicis festis veteri more virgines non nubunt, viduæ nubunt? An quod virginibus decorum, viduis verò, multis præsentibus, fœdum nubere? felices namque & faustæ primæ nuptiæ, secundæ verò tristes & detestandæ, pudet enim, viuus adhuc eis, quibus antea nupserrant, alios accipere, mortuos autem lugent. Hinc apud Virgilium Dido secundas nuptias culpam vocat, iniquens.

Hinc vii forsan potui succumbere culpa.

Et nostræ Christianæ Religionis instituta, etsi Polygamiâ minimè prohibeant, nihilo minus in Concilio Neocæsariensi c. 1. de ijs qui frequenter 3 l. q. 1. penitentia sæpè nubentibus iniungitur. Hinc iura statuunt, secundas, vel repetitas nuptias ineuntes non benedici à sacerdote, quum tamen primæ benedicantur, c. 1. & cap. vit autem, vel mulier, de sec. nupt. lib. 4. Decretal. tit. 2 l. cap. fin. 23. distinct. Quod etiam confirmat D. Ambrosius tom. 4. super cap. 3. prioris epist. ad Timotheum. Ideo Bigamus, qui duas habuit vxores, vel viduam duxerit,

non

non potest ordinari, & ad Dei ministeria promoueri, quod non semel iura Pontificia, & ciuilia pariter præcipiunt. Et D. Hieronymus ad Saluinam. Nesciat inquit vidua digamiae indulgentiam. Et ad Geruntiam. Non solum ab officio sacerdotij digamus excluditur, sed & ab eleemosina ecclesiae dum indigna putatur stipe, quæ ad secunda coniugia deuoluta est. Et in odium mulierum, quæ ad secundas nuptias transeunt, lex ciuilis matri, quæ ad secundas nuptias transierit, vim adimit reuocandi propter ingratitudinem donationes prioris matrimonij liberis factas, quum tamen ea vnius matrimonij vidua possit, l. his solis, l. 7. C. de reuoc. donat. lib. 8. tit. 36. Accedit quod bona, quæ relinquuntur pro pauperibus mulieribus dotandis, non possunt distribui in maritandis viduis, quantumuis pauperibus, vt docuere Bal. & tradit Guliel. Bened. in cap. Raynuitius, vers. qui cum alia, num. 79. 3. par. de testam. Neque subditi & clientes, qui pro maritandis filiabus virginibus Domini, seu patroni tenentur, pecuniam conferre pro vidua filia iterante matrimonium (vt notat Guid. Papeus q. 57. in fine) obligantur. Exosa itaq; nuptiarum reiteratio tum Legibus nostris Canonicis, tum secularibus, tum etiam gentiliis, vt diximus, quæ de re haud mirandum si Trebellius in hoc laudat Calpurniam, vniuiriam sacerdotem eam appellans, hoc est, vt ego interpretor, vnico viro contentam. Sed cuius Dei, vel Deæ sacerdos fuerit Calpurnia videndum, Nam Veneris sacerdotem fuisse illam ex verbis textus colligi posset, quæ sunt huiusmodi. Cuius statuam in templo Veneris adhuc videmus Argolicam, sed auratam. Sed queso, quæ conuenientia Veneris voluptatum Deæ cum scæmina sacratissima, & venerabili; quæ de re ego potius decernendum puto Calpurniam Dialem Flaminicam, seu flammeam fuisse, tum quia mulieri Principi, nobilissimæ, & ditissimæ, vt quam Cleopatrae vniones habuisse perhibebant, & lancem centum librarum argenti, in qua maiorum suorum expressa erat historia, huic (inquam) sacerdotium ceteris præstans conueniens erat, quale Flamen Diale, quod omnibus alijs antiquius, & nobilius fuisse tradidere Gellius lib. 10. cap. 13. Plutarchus Problem. 42. & 48. Varro lib. 5. de lingua Latina, Dionys. Halycarnas. lib. 2. Liuius lib. 1. Ad hæc, quum Flamen, & Flamea Dial es monogami esse deberent, & ab eo sacerdotio bigami excluderentur, ex Aulo Gellio loco citato, Calpurniam vniuiriam talem fuisse sacerdotem iure putandum, præsertim quum habeamus a Plutarcho scriptum in Problematibus, De Flaminibus Dialibus. Eodem tempore vxor cum viro consecratur, quemadmodum multa sunt in sacris, quæ absente viro agi nequeunt. Priore autem amissa alteram statim superinducere tum difficile est, tum verò iniquum, & impium; Quare mortua vxore Flamen Dialis sese sacerdotio abdicabat Nec obstat, quod de Tito illius viro scribat idem Pollio, vix illius nomen agnitum, nec enim sacerdotem Dialem fuisse memoretur, quinimo militum Tribunum dicat, & a militibus imperare coactum, & Dialis Flamen exercitum armatum extra pomerium videre non poterat, teste Gellio loco adducto; nam non omnia de illo a Dexippo & Herodiano scripta, quos authores in Historia illius sequitur Trebellius ipse. Præterea potuit Titus vno tempore militare, & alio a militia vacare, & eodem sacerdotium Diale Flaminium exercere vna cum vxore, ob idque Aulus Gellius

Gellius non negat, Consulem aliquando licet rarenter Flamine creatum, quum tamen bella Consulibus mandarentur.

Trebellius Pollio in Claudio.

Nam quum esset nunciatum nono Kalen. Aprilis ipso in sacrario Matris sanguinis die, Claudium Imperatorem factum. &c.

DIIS antiquitas Patris nomen tanquam diuinitatis plenum, Deabus Matris, ut passim obseruamus, attribuit; Sic Maro 2. Georg.

Huc pater ò Leneæ veni.

Et 3. Aeneid. de Deo Tiberino.

Da pater augurium,

Et octauo eiusdem de eodem.

—— *Et fortia corpora volues.*

Tiberi Pater.

Et primo quoque de Ioue.

Dinum Pater,

Et quarta Georgicorum.

—— *Simul ipse precatur,*

Oceanumque Patrem rerum,

Et tertio Aeneid. de Marte,

—— *Nymphas venerabat agrestes,*

Gradinumque Patrem;

Et de Ioue ipso primo Georgicorum.

Ipse Pater media nimbo in nocte corusca,

Fulmina molitur dextra;

Et iterum ibidem.

Ter Pater extructos discit fulmine montes.

Ita & de Deabus mater Matuta dicta, quæ Græcis Leucothea ex Cicertone prima Tuscul. & libro tertio de Natura Deorum. De qua Ouidius.

Leucotheaque cum matre Palæmona dixit.

Firmianus libro 1. cap. 21. Leucothea, materque Matuta filius eius Palæmon, atque Portumaus. Et terram matrem magnam dictam quis ignorat? Et Lunam matrem appellauit Liuius lib. 45. His sic se habentibus, perquirendum, quam Deam in hoc loco Pollio Matrem dixerit. Non enim matrem cum additione sanguinis legendum puto; nam, quæ mater sanguinis fuerit appellata, ignorare me fateor, nisi dixerimus Matrem magnam, Terram inquam, quam & almam vocauere antiqui, quod omnia alat, & Deorum matrem, quod omnia generet, & sanguinis matrem, communi ea appellatione, qua dicimus hunc & illum esse huius vel illius sanguinis, & ipsam quoque nuncupemus: Sed aliter ego Pollionis dicta interpretanda puto, nempe nono Kal. Aprilis ipso in die sacratio sanguinis matris, nunciatum Claudium Imperatorem factum, hoc est in die quo non solum sacra fiebant magnæ matri, sed & imolabantur victimæ; namque magnæ matri, de qua non dubito hic intelligendum, quum sacra fiebant, mactabatur porca prægnans, ut docuit Seruius in illud Virgilij.

Tibi

Tibi enim maxima Juno;

Et Macrobi. lib. 1. Saturna. cap. 12. Et ideo dies illa vocabatur sanguinis, dies sacra, seu sacraria. Quod etiam confirmatur; namque huiusmodi sacra initium habebant octauo kal. Aprilis, teste Macrobio primo Saturn. capite 21. Hoc verò loco loquitur Pollio de secunda die, in qua immolabantur victimæ Matri Deum; ideo inquit nono kal. Aprilis, non octauo; & iure eum appellat diē sanguinis, ut diximus. Ex quibus colligere possumus, quod sicuti diebus nundinarum, vel Comitialibus Senatus haberi non poterat, ita nec diebus sanguinis, hoc est, in quibus immolabantur, & sacra fiebant. Quorum omnium ratio ferè eadem est, ne scilicet à Comitijs ad suffragia ferenda, & à nundinatione, & sacris faciendis Senatores, ac Senatus affectus & ministri auocarentur, sed his omnibus vacare possent. Non me latet Hadrianum Turnebum Aduers. libro 30. capite 21. interpretari, matrem sanguinis, quod ea die in sacris Galli fanatici Matris magnæ sacerdotes se cruentarent, per furorem alienata mente; Nos tamen nullibi legimus, sibi vulneribus sanguinem præ furore elicuisse, nam sicuti sanguine oblinisse crines capite nutantes, & agitates ex Lucano libro primo, superius demonstrauimus, ubi de Gallis plura; Et quia sono rauco cornua personabant, & vndique furorem simulabant, ideo sæua dicta cornua, tympana, & sacra; & eosdem sibi quum sacerdotium assumerent testes ademisse, ita minus verum esse censemus, quod in sacris peragendis vulneribus è corpore sanguinem elicerent, quod certè scriptores non tacuissent si verum fuisset, nec Hilaria appellassent huiusmodi sacra, in qua non nisi festa facere, & dicere licebat, teste Lampridio in D. Aureliano, quod fusè ibi docuimus. Qua de re nec huic interpretationi plenè acquiescere possum.

Trebellius Pollio in D. Claudio.

*Item in Caueos, & Scyphos, & Zuma pondo
Undecim.*

CAUEVM & scyphum, vasa ad bibendum parata fuisse non dubitamus, quibus argenteis vsos Primarios viros colligimus, tum ex hoc loco, tum etiam ex alio Spartiani in Pescennio Nigro, ubi de eo inquit. Hic tantæ fuit seueritatis, ut quum milites quosdam in caueo argenteo expeditionis tempore bibere videret, iussit omne argentum submoueri ab vsu expeditionali, addito eo, ut vasis ligneis vterentur, ex quibus colligimus cauei argentei vsum priuatū statū militū excessisse. Caueum autem fuisse multæ capacitatis existimandum, ita enim appellatum à cauea puto, & fortè huiusmodi fuit Cantharus. Baccho attributus poculum, quod magnum à Cantharo nauigij specie dictum non dubitandum. Vnde Plinius libro trigésimotertio, capite 11. scribit C. Marium post Cimbricam victoriam Cantharis potasse, Liberi patris exemplo. Scyphos autem fuisse minoris capacitatis manifestum est, quibus veteres in sacris & conuiuijs vsi sunt. Virg. octauo Aeneid.

Et

Et sacer impleuit dextram scyphus.

Horatius Epodon nono.

Capaciores adfer huc puer scyphos.

Sed quid per Zuma sit intelligendum difficilioris inuentionis est, præsertim, quum de re hac nihil apud recentiores scriptores inuenerim quod mihi lumen aliquod præbere potuerit. Illud tamen quod ipse sentiam, proponam, & doctiorum erit iudicium. Arbitror itaque Zuma fuisse vasis, seu patinæ speciem, in quo panis mensæ infereretur, & apponeretur, vulgo Panettera dicunt, ita appellata à voce Græca *Ζύμη*, idest fermentum, seu *ζωμῆς*, quod est panis fermentatus, enim Græcis loco u, Latinæ literæ inseruire palam est. Scio Turnebum Aduers. libro 15. cap. 20. loco Zuma legere Trullas, quam lectionem si receperimus nulla erit difficultas; nam trullam & ipsam vas potatorum esse constat. Horat. 2. Sermon. Saty. 3.

Qui Verentanum festis potare diebus

Campana solitus trulla.

Iuuenalis quoque Saty. tertia.

Si trulla inuerso crepitum dedit aurea fundo.

Plaut. in Amphitr.

Omnesque trullas hauriam.

At sic explicare se à difficultatibus mutatis verbis facile admodum est.

Trebellius Pollio in D. Claudio.

Cumacum Cypriam.

SI seriem antecedentium verborum, & subsequantium perpendamus, diuinare licet Cumacum fuisse genus instrumenti ad corporis ornatum pertinenens, vti fibulæ, Balteum, brachiale, torques, & similia, & forte è fibularum genere, nam cum fibula coniungit inquit fibulam auream, & Cumacum Cypriam vnā; dictam Cumacum, quod illius ex oppido Asiæ Cuma, vel Cumis Vrbe Lucaniæ sit vsus ad Romanos traductus; Sicuti apud Nonium Varro dixit Cumanos calices, & Teste Cumanæ Mart. lib. 4. Epigram. 114. Nisi Comacum legamus potius à coma comæ, vel à como, quod est orno, deriuatum. Cypriam autem appellat, hoc est ex ere paratam; nam ex Cypro es optimum proueniebat, & ad Romanos vehebatur, & pro Cypro es Cyprium intelligebant antiqui. Sic apud Plinium libro trigesimosexto, capite vigesimosexto. Teritur Cypro ere in Cypro mortario.

Trebellius Pollio in D. Claudio.

Aclides duas.

AR MOR V M genus Aclides esse constat ex Virgilio libro septimo, Aeneid. scribente.

Teretes

Teretes sunt acilides illis

Tela, sed hæc lento mos est aptare flagello.

At qualia essent acilides arma non ita notum. Turnebus Aduers. lib. 30. cap. 21. quosdam putare scribit ita dictos, quasi ἀκιδες ab acumine & cuspidē, ipse iacula acilides fuisse existimat, quum teretes dixerit illas, & teres sit, iaculorum hastile; addit & Græcis ἀγκύλαι iacula esse, unde luxata paulo, fractaque voce Acilidis Latinis appellata. Ego alterius sum sententiæ, & puto clauem ferream Acilidem fuisse, quales & nostris temporibus, præsertim antecedentibus, in vsu extitisse compertum est, circa caput acuminibus quibusdam circummunitas, ad cassides præsertim contundendas, & disrumpendas loricas, cui nostræ opinio ni fauent Virgilij dicta, qui inquit hæc solita lento aptari flagello, hoc est loreo amento, brachio vel manibus alligari, ne graues quum sint, in ictu decident & facilius ictu peracto redire possint. Ad quid enim religari iaculum, quod iaciendum est, & manibus omni ligamento liberum contineri debet. Clauam autem teretem forma esse nemo ignorat. Nec obstat quod Virgilius idem tela appellet Acilides, & Telum propriè sit, quod manu iaci potest, & in longinquum manu mitti; nam Græcis τέλε, & τέλοῦ longè significat & τέλοθεν missa dicunt. Et Festus lib. 1. tela ab armis proprietate significationis hoc distare scribit, quod tela sint ea, quibus procul præliamur, arma verò ab humeris dependentia. Nam largitori significatione telum accipitur pro quolibet armorum genere. Ita Virgilius gladium telum appellauit 9. Aeneid.

At non hoc telum, mea quod vi dextera versat,

Effugies.

Et genericè magis Cic. 6. Verr. Nemo Agrigenti neque ætate tam affecta, neque viribus tam infirmis fuit, qui non illa nocte eo nuncio excitatus surrexerit, telumque quod cuique fors offerebat arripuerit. Acilidem autem clauam ferream puto appellatam vocē Græca parum mutata ἀκλινής, quod est immobilis, non vacillans, quale id armorum genus esse manifestum est.

Trebellius Pollio in D. Claudio.

*Cocum, quem refundat, Mulonem, quem refundat, Notarium,
quem refundat, Structorem, quem refundat, latum
clauum, quem refundat.*

VERBVM refundo significare Latinis propria significatione rependere, restituere, manifestum est. Seneca. Id erat non tantum accipere beneficium, quam refundere; Et iterum. Quicquid dederit, ex meo refundam. At certè non est credendum Valerianum in Claudium liberalissimum voluisse eum restituere quicquam, quod ab eo acceperat, præsertim vestes, puta togā, & laticlauum, viles quidem respectu donantis, & donati. Quamobrem ego interpretor hoc in loco refundere, hoc est renouare, quo in sensu vsus est Cic. lib,

lib. de Nat. Deorum inquit. Vaporibus altæ, renouatæque stellæ refundunt eosdem, renouant scilicet, vti interpretatus est Marius Nizolius. Sic Ammianus Marcellinus Oceanum refusum, hoc est cuius motus fluxu, & refluxu, incremento, & decremento renouatur.

Trebellius Pollio in D. Claudio.

*Pateras gemmatas, Discum Corymbiatum, lancem Pampinatam,
Patinam Hederatam, Voleta Haleuticum.*

HÆC omnia vasa fuisse, quibus esculenta, & poculenta ministrarentur, non ambigendum, at nec synonyma dicenda, sed potius aliqualis inter ipsa differentia statuenda. Patera vas patens, & ad bibendum quoque aptum, patens & latum, quasi patula dicta. Virg. 1. Aeneid.

Impiger hausit

Spumantem pateram.

Hac autem in sacrificijs, & libationibus potissimum vsi sunt antiqui. Cicero 6. Verr. Patera, qua mulieres ad res diuinas vterentur. Idem de clar. Orat. Mercurius è patera sanguinem visus est effundere. Et iterum Pateræ coronæque quæ simulacrorum porrectis manibus sustinebantur; & excipere sanguinem Patera in Parad. Virg. 1. Aeneid.

Impleuitque mero pateram.

Ad sacra itaque facienda Galienus Claudio Pateras gemmatas misit, hoc est gemmis ornatas, si quidem Thuribulum, Patellam, & Pateram dicit in omnibus ferè locupletibus ædibus Siculorum fuisse. Cic. in Verr. In patella Dijs apponebantur epulæ, cum Laribus, & Penatibus sacra fiebant, Patera vinum libabatur, Thuribulo Thus adolebatur. Sequitur Discum Corymbiatum Discus vas latum fuit ad portandas carnes aptum, si Iulio Polluci id tradenti credimus, vt interim huius vocis alias significationes omittamus Cic. de Orat. Quorum auditores discum audire malunt, quam Philosophum. Et in sacro Euang. Marci cap. 6. In Disco caput Ioan. Baptistæ allatum inquit, Vnde & a D. Hieronymo dictus est Discophorus, qui Danieli prandium portauit, Dicit verò Corymbiatum, idest Corymbis in argento opere expressis. Virg. Eglo. 3.

Diffusos hedera vestit pallente Corymbos.

Lancem Pampinatam. Lanx fuit antiquis escharium vas, minus patina excavatum, in quo carnes mensæ, tam tostæ, quam elixæ, inferebantur. Iuuen. Saty. 5.

Aspice quam magno distendat pectore lancem,

Quæ fertur Domino squilla, & quibus vndique septa.

Asparagis,

Ex quo magnam fuisse lancem deprehendimus. Vnde Plinius libro trigesimo tertio. Lances è centenis libris argenteis tunc supra quingentas numero Romæ fuisse constat. Et iterum. Seruus Claudij nomine Rotundus dispensator Hispaniæ citerioris quingenariam lacem habuit, & comites eius octingentas quinquaginta octo librarum. Hanc fuisse figuræ rotundæ colligimus

gimus ex Horatio secundo Sermonum Satyra quarta.

Iligna nutritus glande rotundas

Curuat aper lances.

Dixit autem pampinatam, eo pacto quo Discum Corymbatum Virgilius loco citato.

Lenta quibus torno facile superaddita vitis.

Patinam hederatam. Patina vasis genus, quo dapes iurulentæ in mensam feruntur. Vnde Plaut. in Aſin. Quouis pacto conditas, vel patinarium, vel assumptas. Id quoque ex Horatio intelligi potest, scribente lib. 1. Saty. 3.

Si quis eum seruum patinam qui tollere iussus

Semefos pisces tepidumq; ligurinerit ius.

Maximam patinam habuisse Vitellium testatur Suetonius in illo, cap. 13. quæ ob immenſam magnitudinem clypeum Mineruæ dictitabat. In hac scarorum iocinora, phasianorum, & pavonum cerebella, linguas Phœnicopterum, Murænarum lactes commiscuit. De hac Plinius lib. 35. c. 12. illam ducentum sextertij conditam, & cui faciendæ fornax in campis ædificata erat, fictilem enim aliquando fuisse constat, quum subdit. Eo enim peruenit luxuria, ut etiam fictilia plus constent, quam Murrhina, & libro 10. Maximè tamen insignis est in hac memoria Clodij Æſopi tragici Histrionis, patina sexcentis sextertij taxata, in qua posuit aues cantu aliquo, aut humano sermone vocales, nummum sex millibus coemptas. Ex quibus patet, non modo magnitudinem vasis admirandam, sed & feruli ingens precium, quod & ipsum patinam dixerint anti qui. Hispani ollam potridam frequenti nomine appellant; Nota & est Domitiani patina, in qua Rhombus immensæ magnitudinis integer condiendus erat, de qua Iuven. Saty. 4. Sed ad rem nostram reuertamur. Fuit patina argentea, hederata, hoc est hedera exculpta. Voleta. Halieuticum. Hoc opus, hic labor est. Egnatius (ut sui moris est) duobus verbis interpretatur iaculū piscatoriū. Sed quæſo quid rete piscatorio cum argento, quum voleta viginti librarum argenti fuisse scriptum sit. Deceptus vir aliàs multæ literaturæ à voce Græca, βόλος, quod est rete piscatoriū. Præterea ad quid Trebellius addidisset Halieuticum, quod est piscatorium, si à βόλος. Voleta deriuanda ἁλιευτικόν, si quidem piscatorius dicitur. Ad hæc haud rationi consonum uidetur inter uasa argentea, & aurea, & gemmata connumerasse Pollionem rete piscatorium. Melius sanè & aptius Turnebus lib. Aduers. 15. capite vigesimo non Voleta, uti legit editio Germanica, quam ut plurimum sequimur, sed Boletera, aut Bolitera, vel Boletare legendum tradit, ita ut uas fuerit ita primum dictum à Boletis, quod scilicet in illo condirentur, uel apponerentur, comedenda; uasa enim aliqua à re illa, cuius in usum parata erant, nomen desumpsisse supra docuimus, ubi de Fabatarijs disseruimus. De Boletarijs uerba fecit Martialis libro 14. Epigram. 106.

Cum mihi Boleti dederint tam nobile nomen,

Prototomis pudet, heu seruiſſo colliculis.

Legimus quoque apud Apicium lib. 2. Exinanies in boletari. Legendum itaq; Boletare Halieuticū, hoc est uas Boletare dictum, piscibus condiendis accom-

Z z

datum,

datum, siquidem pondus ingēs librarum viginti efficit, vt putem potius coqui-
narium vas fuisse, quam mensale; Quod verò vasa alicui rei particulari destina-
ta in alterius vsum traherentur, ex versibus Martialis colligitur, & ex supe-
rius dictis de fabatatis.

Trebellius Pollio in D. Claudio.

Chlamydes veri luminis limbatae.

TVRNEBVVS lib. Aduers. 30. cap. 21. interpretatur, veri luminis, idest ve-
ri coloris. & nitidi, ex Tertulliano lib. de Pallio scribente. Et quidem in fa-
ma de subtegmis studio, consilio, & mensura temperamento. Et rursus lib.
15. c. 20. interpretatur, luminosi coloris & flagrantis, ardētisq; qualis puniceus,
& coccineus, Baptista Egnatius veri luminis splendidissimas exponit, quod nō
ad colorem referendum putamus, sed ad materiam ipsam ex qua constabant, &
contexte erant, puta aurum, argentum, sericum, quæ splendorem & lumen ve-
rum, vt ita dicam, vestibus dare solent. Quod verò limbatae ait, ego expono in
extremitatibus limbis exornatas. Et paulò antea, vbi legimus sagochlamydes,
interpretamur medium indumenti genus inter sagum, & chlamydem, vtriusq;
scilicet formam mixtam præferens.

Trebellius Pollio in D. Claudio.

Albam subsericam, paragaudem triuncem.

PARAGAVDAE vestis fit mentio apud Iuriconsultos, l. 1. & 2. C. de
vesti olobe. & aura, lib. 11. Nemo auratus habeat in tunicis, aut in lineis para-
gaudas, Ex quo ex Iuristis quidam, vna cum Turnebo lib. 9. Aduers. c. 11. Para-
gaudes interpretati sunt, quod sint fasciæ, vel auratæ, vel sericæ, quæ vestib. in-
tertexterentur, non autem insitæ adfuerentur. Alcianus verò in Annotat. in tres
posteriores lib. Cod. explicat, Paragaudes esse genus vestimenti virilis, vt pluri-
mum linei, quod sub alia veste gerebatur, vinctum nunc vnico nexu, nunc plu-
rib. lotis, auratis fortasse, ita enim intelligit dilotes, monolores, & similia. Ego
verò neutri interpretationi omnimodò assentior, licet ex utraque genuinū sen-
sum me elicere potuisse non dissimulem. Namq; paragaudam indumentū in-
terpretor, ut plurimum lineum, quod interius sub alijs vestibus gestabant anti-
qui, at circa extremitates opere Phrigio, ac aliquando & textura pictum, præ-
sertim ad manus, & collum, quod & in vulgariis nostris interulis lineis fieri
consecuisse norunt oēs, modo aureo, modo serico, modo lineo filo, modo unius
coloris, modo plurium. Cui sententiæ fauere videtur Cels. & hodie lib. 16. c. 10.
scribens Paragaudas legimus indumenta ex lino virilia, vestibus alijs subijci
consuetas. Vnde legimus apud Vopiscum in Probo. Interulas paragaudas

duas, hoc est interulas opere Phrygio circa extremitates pictas; Et in Valeriano lineas appellat. Et Imperatorum Gratiani, Valentiniani, & Theodosij rescriptum his verbis. Nemo auratas habeat aut in tunicis, aut in lineis paragaudas, sententiam nostram confirmare videtur. Necnon & Valēntis, Valentiniani, & Gratiani decretum. Auratas, & sericas paragaudas autointextas viriles priuatis vſibus contexere, conficereque prohibemus; ex his enim constat Imperatores luxui nimio cauētes prohibuisse, praesertim viris, ut interulas lineas fascijs intertextis, aut acu, auro, vel serico confectas haberent. Vopiscus in Probo. Interulas paragaudas duas à Valeriano Probo inter cætera munera donatas. Non negauerim tamen Paragauda nomen, & ad alias vestes translātū aliquando, uti apud Vopiscum in Aureliano obseruamus, quum inquit. Paragaudes vestes ipse primus militibus dedit, quum antea nisi rectas purpureas accepisset; namque militibus primum dedisse Aurelianum vestes Phrygiato opere, acu, vel textura exornatas, intelligendum, quum antea purpureas tantum rectas, id est sine villo ornamento acciperent. Has autem paragaudes vestes nonnullis datas monolores, alijs dilores, trilores alijs, & vsque ad pentalores, quales hodie lineæ sunt, subdit idem Vopiscus, hoc est vnus, duorum, trium, vel quinque colorum, ut adnotauit in Plinianis castigationibus doctissimus Hermolaus Barbarus, quod scilicet varijs coloribus essent Phrygiatæ vestes illæ: non verò, quod docuit Alciatus, ita dictæ, quod vincirentur vnico, vel pluribus loris, auratis scilicet, vel sericis. Nec minus cum Turnebo dicendum, ita vocatas, quod in illis vna, duæ, tres, & quinque essent Paragaude scilicet fasciæ depictæ. Nec quod alij tradidere, legentes monicos, dicoros, tricos, pentacoros, quia toties colore saturarentur infectione perexcellenti. Quod verò ad nominis rationem pertinet, siue sit è Græco, & Latino fonte compositum, à *παρά* & cauda, quod vestes scilicet iuxta caudam, hoc est in extrema ora pictam, vel contextam paragaudem haberent, seu à *παρά* & Gaudium, quod scilicet vestis ornamentum istud gaudium esset, seu à *παρά* καὶ γαυδάειν quod Hesychius λέγειν interpretatur, quod scilicet qui ijs vestibus vterentur splendidè sese ostentarent, parum ego quidem facio, nam singulorum verborum nomenclaturæ rationem assignare equè superfluum ac impossibile semper existimaui. Verum ut & in re curiosa aliquid afferam & ipse, dico, quod sicuti interulam Latini quoque subuculam dixere, eo quod sub culo connectatur fœmoralibus superpositis, ita fortè paragaudem interulam Phrygiatam quoque dictam, quod iuxta caudam inuicem implicaretur, caudam enim dici os illud extremum spinæ, quod circa nates definit (Coccygis eam appellant medici Anatomici) palam est, verum hæc friuola admodum, ut dixi, sunt. Paragaudem itaque subsericam, hoc est non simplici serico contextam, sed & lineo filo permixto interulam interpretamur, opere Phrygio exornatam, iuxta extrema, triuncem, hoc est pondere tantum trium vnciarum, quod adiectum, ut vestis excellentia magis innotesceret, subtilissimum enim fuisse ex hoc innuit Pollio.

Zanchas de nostris Parthicis paria tria, Singiliones Dalmatenses decem, Chlamydem Dardanicam mantuelem vnam, Cucutia villosa duo, Oraria Sarbadena quattuor.

VESTES Parthicas ex Imperatoris Vestuario desumptas, & Claudio missas Zanchas Turnebus interpretatus est libro 15. c. 20. vocem Parthicam Zancham esse dicens; Qua in re vel nullo negotio in re perdifficili se extricat. Nos vestis genus minimè fuisse arbitramur, sed potius calceorum species, triplici ratione mori, quod Pollio scribat Zanchas de nostris Parthicis paria tria, indumenta enim pedum, & manuum per paria communiter appellari consuevere. Præterea vulgo Zancham appellamus ligneum illud instrumentum, quo pede superposito, vt elatiores progrediantur, vel genu superposito & alligato, qui pede manco, vel crure decurtato sunt, vt commodius, & stabilius incedant, vti solent. Ad hæc Zinchion corrigiam calciamenti antiquis fuisse tradit Tiraq. in suis Legibus connubialibus; vocat autē Parthicas, quod calceamenta huiusmodi elatiora essent, ligno, vel ferro aliquo soleis superposito, vt proceriores illis calceati videantur, cuiusmodi & hodie Parthos, Persas, Turcas, & Pannonos vti conspiciamus, & præcipuus vsus nostris temporibus mulieribus, præsertim Venerijs, quæ in huiusmodi Calapodij genere maximè delinquant. Quod verò nostris addidit, intelligendum à Galieno luxu studiosissimo in vsum tractos Tzanchas à Græca voce, sed ad euitandam cacophoniam, & duritiem pronunciationis demptum T. Hanc nostram opinionem confirmare possumus ex verbis libelli, cui titulus De officijs Aula Constantinopolitana, quæ sunt ista ἐστὶν ἡ τριγωνία ἢ ὁ ὑπόδηματων ἡ καλούνται τζάνκια hoc est & alia calciamentorum species, quæ vocatur τζάνκια. Vnde & Tzanchas hoc loco legendum puto, non Zanchas. Nam & Moscoph. in lib. περισκελῶν, τζανκαρίον cetdonem coriarium vocat. Ita in l. 3. & l. vlt. Quo quemque habitu esse oportet in C. Theod. appellatione Tzancharum calceamenti genus intelligendum cenfeo, quicquid alij fenserint; Est autem proprium Regum, vt ex libello Græco supradiçto constet, & Galienus Imperator idcirco nostras appellauit. Verum enim vero, quid per Singiliones intelligere debeamus valde obsecro, quem nec ab antiquis, nec à recentioribus scriptoribus quicquam dictum viderim, quod aliqualem nobis lucem aperire possit, vulgo saglione dicunt amictus genus illud, quod Thoracibus ferreis superinduant milites, quos fortè Singilliones appellauit Pollio. Vel dicamus intellexisse cooperimentum illud, quod ad aeris iniuriam, & inclementiam vitandam faciei superinducere, præsertim in aperto & iter facientes, solemus. Bante nostri vulgares dicunt. Legendumque potius Sigaliones quam Singiliones. Nam Harpocratē silentij Deum, quem figurabant digito os prementem, Sigalion quoque ab Aegyptijs vocatum legimus apud Ausonium Epist. 12.

Et tua Sigalion Aegyptius oscula signet ;

Quod itaque munimentum illud os contegat, fortè ab Aegyptijs Sigalion dictum quam vocem una cum indumento Romam transuectam arbitrandum. Chlamydem Dardanica Mantuelem. De Chlamyde aliàs fusè differuimus ; Cur verò Dardanica vocarit optimè notum, non ita cur mantuelem, *μαντὺν* penula genus Græca voce vsu verò & Romanis constat ex Suida, & Dione in Tiberio, & Domitiano, Latini Mantellum dixere Plinij testimonio libro septimo, capite secundo, vbi Scythas cutibus humanorum capitum cum capillo pro mantellis vti tradit, quod & Herodotus in Melpomene confirmat à mantelo, mantelio, vel manteli, vt alij scribunt, mantuelem deductum, ita vt hoc loco intelligendum sit: Chlamys Dardanica Mantuelis, hoc est, quamquam mantelo, vtendum sit, mantelum enim ponit metaphoricè pro quolibet tegmine. Plautus in Capt.

Nec mendacijs subdolis mihi vsquam mantelum est meis.

Mantelo vulgo dicimus Itali, & Galli *Manted*. De Bardocucullo abunde superius egimus. Cucuria villosa. Cucullia villosa duo & rectè legendum docet Turnebus libro Aduers. decimaquinta, capite 20. vt sit diminutiuum à cucullo, de quo superius plura. Capitia legit Egnatius. Vtraque lectio literæ sensui accomodata, magis tamen Turnebi sententia placet. Oraria sarbade-na, Saraptena legit Turnebus eodem in loco ab Vibe Phœnicis. Egnatius verò Sambadana vela subtilissima, idest ex oriente, nam Sambara inquit genus est vestis Persicæ & Sarabaitæ Hæretici DD. Augustino & Hieronymo. Addimus nos fortè legendum Sambræa oraria, nam Sambræa est ciuitas Capadociæ Ptolemæo libro quinto, capite sexto, Orarium verò syndonem Romanis fuisse Rhodiginus docet libro decimonono, capite vigesimoquinto, & nos aliàs fusè demonstrauimus. Egnatio fauere videtur Liuius libro vigesimo octauo, scribens, In ipsis quoque trepidatum nauibus, dum ne hostes cum suis irrumperent, trahuntque scalas, oraque & anchoras. Et apud Quintilianum legimus ora soluentibus, quamuis non ignorem non deesse, qui utrobique per oram interpretentur funem nauticum. De re hac lege etiam Rhodiginus libro vigesimo septimo, capite septimo.